

conc.; vere et realiter, *nego*. Pro universali responsione sufficiat quod, cum probatum sit oppositionem inter veritates supernaturales et ideas rationis non esse nisi apparentem, argumenta quæ ex principiis rationis contra mysteria revelata afferuntur, non possint esse vere et realiter insolubilia, sed tantum apparenter. Legatur super hac quæstione III *Contra gentes*, c. 7, ubi D. Thomas pluribus argumentis probat quod asserit, scilicet: « Quamvis veritas fidei christianæ humanæ rationis capacitatem excedat, hæc tamen quæ ratio naturaliter indita habet, huic veritati contraria esse non possunt. »]

Petes 1^o quo lumine habeatur cognitio credibilitatis: an supernaturali, an naturali?

Resp. probabilius haberi lumine naturali adjuto aliquo lumine supernaturali, scilicet illustrationibus actualibus quibus Deus illuminat intellectum eorum, ad percipienda et judicanda ea quæ Dei sunt, et fit quod intendant iis quæ dicuntur et prædicantur, sicut *Act.*, xvi, 14: *Dominus aperuit cor Lydiæ, intendere his quæ dicebantur a Paulo*; quodque in eis observent et judicent esse divinam credibilitatem, ad quæ tandem sequitur fides.

Petes 2^o utrum, ut aliquid credat, debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia.

Resp. affirmative. Patet ex dictis; alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non æqualis omnibus est necessaria evidentiæ; quandoque enim sufficit sola vox prædicantis, cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem, ut patet in pueris et rudioribus credentibus dictis a pastoribus, quos sciunt loqui nomine Ecclesiæ, in India credentibus missionariis prædicantibus sine miraculis, in Apostolis sequentibus Christum ad solam ejus vocationem, antequam ejus miracula vidissent.

DISSERTATIO II

DE MOTIVIS CREDIBILITATIS RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS, VULGO DEISTAS.

Increduli seu deistæ dicuntur, qui ens supremum seu verum Deum agnoscunt, sed negant eum quidquam revelasse hominibus, ideoque Religionem Christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his quæ sive Deum, sive seipsos, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus et veritatis et vitæ regulam ac judicem agnoscunt.

Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem, dicuntur Materialistæ; alii animam rationalem spiritualem et immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire aut bona præmiare; alii contra sentiunt. Quidam justitiam et injustitiam non nisi verba reputant, summamque regulam in propria utilitate reponunt; alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum et æquales, secundum dictamen rationis, subjiciunt. Nec mirum, si sic inter se scindantur; cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce et regula habeant, quisque pro nutu suæ rationis sistema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem totius religionis eversivum et his temporibus invalescentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur et error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam studiosæ juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero Religionem Christianam esse divinam, a Deo revelatam atque institutam. Hoc enim posito, palam sequitur omnia quæ proponit credenda, ut sunt mysteria SS.

Trinitatis et incarnationis, providentia divina circa res humanas, immortalitas animæ, leges morum, peccatum originale, æternitas pœnarum, resurrectio mortuorum, sacramenta, etc., esse vera, eisque certam et indubitam fidem esse adhibendam, non obstante eorum incomprehensibilitate; Deus enim nec falli nec fallere potest, ut concedunt ipsi deistæ; sicque evanescent omnia illorum figmenta et sophismata. Et cum hi solam rationem audiunt, etiam sola ratione eos impugnabo, exponendo præcipua motiva credibilitatis Religionis Christianæ, quibus nemo, nisi humanæ rationis lumen in se exstinguat, resistere potest.

Sic ergo argumentor. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, quam 1^o prophetæ longe antea prænuntiarunt; 2^o quam ejus author et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et patentissimis miraculis confirmarunt; 3^o denique, quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta et per orbem universum propagata. Atqui hæc est Religio Christiana. Ergo. — Majorem negare non possunt deistæ; tria enim assignata sunt evidentissima divinitatis argumenta. Sola ergo minor est probanda. Unde in sequentibus articulis demonstrabitur.

[Quamvis sola ratio motiva credibilitatis Religionis Christianæ invenire possit, hujusmodi probationes etiam ad fidem pertinent, ut definitum est a synodo Vaticana ita decernente: « Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit. »]

ARTICULUS I

Quid sit prophetia? An sit possibilis?

[Dico 1^o, cum D. Thoma, 2^a 2^a, q. 171, a. 1, o: « Prophetia primo et principaliter consistit in cognitione, quia

videlicet prophetæ cognoscunt ea quæ sunt procul et remota ab hominum cognitione... Prophetia secundo consistit in locutione, prout prophetæ ea quæ divinitus edocti cognoscunt ad ædificationem aliorum annuntiant, secundum illud *Isa.*, XXI, 10: *Quæ audivi a Domino exercituum, Deo Israel, annuntiavi vobis.* » Prophetia a duabus vocibus græcis $\pi\rho\beta$, ante et $\varphi\eta\mu$, loquor, venit, et significat generatim annuntiationem ante eventum factam. Passim definitur: « Præsensio et prædictio certa alicujus eventus qui in causis naturalibus præsciri non potuit. » Vel pressius: « Manifestatio rei futuræ creaturis occultæ. » Ex qua prophetiæ notione patet, tres conditiones ad eam vere et proprie talem constituendam requiri, scilicet: 1^o ut sit prædictio certa, non conjecturalis; 2^o ut sit prædictio rei futuræ liberæ, quæ proinde nec arte nec scientia naturali qualicumque cognosci possit; 3^o ut sit ita determinata, quod non accomodetur eventus prophetiæ, sed potius prophetia determinet eventum: id est, quod non sit ita vaga, obscura et flexiloqua, quæ omni eventui convenire possit, et applicatio non sit arbitraria; ita ut prophetia, quæ est verum miraculum, probationem suam sibi ipsa suppeditet.

Dico 2^o: Prophetia est possibilis.

Est contra veteres et recentiores qui possibilitatem prophetiæ negarunt. Inter veteres fuerunt, Tullio teste¹, Colophonius et Epicurus. Hic posterior non aliam habebat causam cur omnem divinationem sperneret, quam quod humana diis curæ esse non admittebat. Ita sensit et Carneades, ut idem Tullius asserit². Ex recentioribus Spinosa atque Sociniani Deo ipsi abjudicant facultatem futura prævidendi. Nunc demum omnes rationalistæ negant hominem spiritum propheticum a Deo accipere posse.

Prob. ratione. Possibilitas prophetiæ ad hæc duo reducitur: primo, utrum Deus ea quæ futura sunt præscire possit; secundo, supposita futurorum præscientia, utrum

1. *De divinatio.*, lib. I, c. 3; *De natura deorum*, lib. I, c. 19. —
2. *De fato*, c. 14.

Deus eo homini manifestare possit. Atqui hæc duo sunt possibilis. Ergo.

Prob. prima pars min. Primum non tantum est possibile, sed necessarium. In Deo enim est omniscientia, et ideo præscientia, quæ in scientia perfecta et infinita includitur. Si hanc præscientiam non haberet Deus, non esset sub hoc respectu infinite perfectus, consequenter nec Deus. Et hæc cognitio in Deo non est proprie præscientia, sed simpliciter scientia. Quod sic a D. Thoma probatur, 4^a p., q. 14, a. 13, o: « Cum Deus sciat omnia, non solum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua vel creaturæ, horum autem quædam sint contingentia nobis futura, sequitur quod Deus contingentia futura cognoscat. . . Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso. Et licet contingentia fiant actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul, quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ex ratione qua habet rationes rerum apud se præsentis, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentia. Unde manifestum est quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secundum suam præsentialem; et tamen sunt futura contingentia, suis causis proximis comparata.» Ergo.

Confirmatur multiplicibus testimoniis Scripturæ, quorum sequentia sufficiat referre. *Hebr.*, iv, 13: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* *Psal.*, cxxxviii, 3 et 4: *Intellexisti cogitationes meas de longe. . . Omnes vias meas prævidisti.* *Sap.*, viii, 8: *Signa et monstra scit antequam fiant, et eventus temporum et sæculorum.* Prophetiæ in Scripturis consignatæ, quæ certo fuerunt etiam in minimis adimpletæ, hanc possibilitatem evidentem ex facto demonstrant.

Prob. secunda pars min. Si Deus homini res futuras

manifestare non posset, impedimentum non staret evidenter nisi ex parte hominis, qui hujusmodi communicationis non esset capax. Atqui ea incapacitas non potest admitti. Ergo. — Prob. min. Homo ab homine discit quæ ignorat, et inter hæc multa sunt quæ docti, solo lumine naturali adjuti, præviderunt tamquam oritura e causis suis. Atqui, si Deo placuerit, homo non minus, imo magis, ab eo doceri poterit via extraordinaria inspirationis, id est illustrationis interioris qua patefaciuntur ei futura contingentia naturaliter occulta. Ergo.

Confirmatur humani generis consensu; nam semper persuasum fuit hominibus aliquos divinas communicationes de futuris accepisse. Inde, apud paganos, oracula, divinationes, auguria et artes magicæ.]

ARTICULUS II

An prophetiæ vim habeant probandi veritatem revelationis?

[*Resp.* affirmative.]

Prob. S. Scriptura, quæ sæpissime prophetias invocat in probationem veritatis revelatæ. Ipse Christus ait, *Joann.*, v, 39: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ut discipulis in castellum nomine Emmaus euntibus probaret omnia quæ acciderant de ipso voluntate divina contigisse, *Luc.*, xxiv, 27, *incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* S. Petrus, narrata prodigiosa transfiguratione Christi, in qua Pater cœlestis eum suum proprium Filium voce sensibili proclamavit, ad plenius revincendam Judæorum incredulitatem, addit, *II Petr.*, i, 19: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat.* S. Paulus Judæis exponebat doctrinam cœlestem, *Act.*,

xxviii, 23, *testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi et prophetis. Ergo.*

Prob. 2° ratione. Prophetia proprie dicta non potest esse nisi a Deo; nam, ut ait Angelicus, 2^a 2^e, q. 171, a. 2, o, « principium eorum quæ ad supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam a prophetis non videtur. » Ergo, quoties vera habetur prophetia eventu comprobata, toties ineluctabile divinæ ac supernæ revelationis exurgit argumentum. — Antecedens constat ex notione ipsa prophetiæ. — Consequens ergo negari non potest.

Confirmatur ex hoc, quod vera prophetia est verum miraculum, et infra probabitur miraculum demonstrare veritatem doctrinæ in ejus favorem patratum.

Prob. 3° ex Patribus, quorum unum et alterum sufficiat referre. Tertullianus, *Apologet.*, c. 20 : « Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, quia cum illis quæ quotidie probantur prædicebantur. » Præclarus est hic Augustini locus, serm. 43 de Script., n. 5. Narrata ex S. Petro transfiguratione Christi, relatisque his verbis : *Et habemus certiozem propheticum sermonem*, dicit : « Sonuit vox illa de cælo, et certior est propheticus sermo... Quis nostrum non miretur, delata voce de cælo certiozem propheticum sermonem ab Apostolo dictum esse? Certiozem sane dixit : certiozem, non meliorem, non veriozem. Tam enim verus ille sermo de cælo, quam sermo propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid est ergo *certiozem*, nisi in quo magis confirmetur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit... Sed propheta ante fuerunt : non dico ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat Christus, quando misit prophetas... Ecce quare ait apostolus Petrus : *Habemus certiozem propheticum sermonem*. Vox de cælo, qua fideles admoneantur; propheticus sermo, quo infideles convincantur. » Ergo.]

ARTICULUS III

Vaticinia prophetarum de religione christiana et ejus authore.

Vaticinia religionis christianæ continentur in libris Moysis et aliorum prophetarum.

1° Deus locutus est Moysi, eique religionem judaicam revelavit, ut patet *Exod.*, xix, 3-6. Porro, si religio judaica sit vera et revelata, ergo Christus est Messias. Ergo religio christiana, quam instituit et cujus religio judaica erat fundamentum, est vera et revelata.

2° In libris Moysis et prophetarum prænuntiatur Messias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio et alia huc spectantia, vocatio gentium, rejectio Judæorum, abolitio templi et sacrificii, substitutio novæ legis et novi sacrificii, etc. Atqui hæc omnia adamussim verificata sunt de Jesu Nazareno, authore legis christianæ. Ergo ipse est Messias : ergo vera et divina ejus religio.

Prob. min. 1° Noster Christus natus est adempto sceptro a Juda, juxta vaticinium Jacob, *Genes.*, xlix, 10; tempore statuto in 70 hebdomadibus Danielis, *Daniel*, ix, 24-27; ante destructionem secundi templi, ut prædixerant Aggæus, ii, 8-10, et Malachias, iii, 1. — 2° Natus est in Bethleem, ut prænuntiatum erat, *Mich.*, v, 2; ex tribu Juda et familia David, *Isa.*, xi, 1 et 10; ex virgine, *Isa.*, vii, 14. — 3° Adventum ejus præcessit qui pararet vias ejus, *Malach.*, iii, 1. — 4° Fecit miracula, ut prædixerat Isaias, lxi, 1 seqq. — 5° Venditus est triginta argenteis, quibus emptus est ager figuli, ut prædixit Zacharias, xi, 12. — 6° Conspuitur et cæditur in faciem, *Isa.*, l, 6. — 7° Flagellatus fuit, *Psal.* xxxiv, 15 et cxxxviii, 3. — 8° Manus et pedes ejus fuerunt perforati, *Psal.* xxi, 17. — 9° Fuit crucifixus inter latrones, *Isa.*, liii, 12. Divisa sunt ejus vestimenta, missa sorte in togam, *Psal.* xxi, 19. Pendens in cruce fuit felle potatus, *Psal.*, lxxviii, 22. Eo moriente, sol deliquit passus est,

Amos, VIII, 9; resurrexit, *Psal.* III, 6; ascendit in cœlum, *Psal.* LXVII, 34; misit Spiritum sanctum, *Joel*, II, 28. — 10° Vocavit per Apostolos gentes ad suam religionem, et idololatriam destruxit, ut prædictum erat, *Genes.*, XXII, 17 et 18; *Isa.*, II, 2, 3 et 18; XIX, 19; XLIX, 6 seqq.; *Zach.*, XIII, 2, et alibi. — 11° Novum sacerdotium substituit Levitico, novam legem legi Mosaicæ, ac tandem Judæos rejecit, ut prænuntiatur est passim in prophetis, *Isai.*, *Jerem.*, *Ose.*, *Amos*, *Mich.*

Hæc omnia latius exposita require in priori nostro Opere, tract. de *Incarn.*, dissert. II, a. 3.

Quid ad hæc deista? *Dicetne* Moysen esse fabulatorem et impostorem, qui falsa et ficta pro veris fraudulenter venditavit Israelitis?

Sed contra: 1° Moyses eorum quæ narrat ipsos Israelitas testes oculatos appellat. Narrat plagas Ægypti, Israelitis videntibus innoxias. Narrat ipsos transiisse incolumes per mare rubrum, Ægyptiis in eo submersis. Narrat manna cœlitus ipsis datum per quadraginta annos, per id tempus eorum vestes non fuisse detritas. Narrat legem ipsis divinitus datam in monte Sinai inter fulgura et tonitrua. Narrat se in eorum sublevamen elicuisse fontem de rupe, Dathan et Abiron, ipsis spectantibus, vivos in terra fuisse absorptos, ut prædixerat; legi durissimæ ipsos subjicit, etiam sub pœna mortis in certis capitibus. Narrat se jussisse occidi per Levitas viginti quinque millia hominum propter idololatriam, et plura alia. Si ergo hæc omnia falsa sunt et Moyses pro veris fraudulenter venditavit Israelitis, necesse est Moysen fuisse stultum, qui speraret se posse persuadere Israelitis eos vidisse quæ non viderant, et inde eos legi durissimæ subjicere; Israelitas pariter fuisse stultos, qui crederent se vidisse quæ non viderant, et inde se subjicerent legi durissimæ.

2° In memoriam factorum et prodigiorum quæ narrat Moyses, instituta fuerunt tunc festa et sacrificia quæ etiam nunc scrupulose servantur a Judæis. Quis autem credat gentem integram instituisse festa et sacrificia pro eventibus

sibi non certo notis, aut fabulosis, et ea per tot sæcula tam religiose observare.

3° Moyses non solum facta et prodigia narrat, sed multa prænuntiat futura quæ ex sola Dei voluntate pendent, et quæ fuerunt adimpleta: similiter alii Prophetæ. Non est autem impostoris, nec cujusvis alterius hominis, prædicere futura quæ ex sola Dei voluntate pendent.

Reponet forte, neque Moysen, neque prophetas unquam exstitisse; aut, si exstiterint, libros qui ipsis tribuuntur non esse ipsis proprios, sed post natum Christianismum ab aliquo impostore fuisse fabricatos.

Sed contra: 1° Tam certum est exstitisse Moysen et prophetas, et scripsisse ea quæ ipsis tribuuntur, quam certum est exstitisse Cyrum, Alexandrum, Cæsarem, Ciceronem, Virgilium, et scripta quæ eis tribuuntur esse ipsis propria. De his autem nullus dubitat, propter constantem traditionem, cui nihil opponi potest. Ergo nec de illis dubitare licet.

Item, tam certum est Moysen et Prophetas exstitisse, et opera quæ eorum nominibus inscribuntur esse ab illis scripta, quam certum est exstitisse et nunc existere gentem Judaicam, quæ illos ut Prophetas et sanctos semper coluit et colit, et eorum scripta, ut divina, summa diligentia semper custodivit et custodit. Existere autem et exstitisse gentem Judaicam ante ortum Christianismum, universo orbi notum est.

2° Aristeus, unus ex legatis Ptolemæi ad Eleazarum, summum Judæorum pontificem, cujus liber exstat in *Bibliotheca Patrum*, tom. VII, Joseph et Philo, uterque Judæus, referunt vetus Testamentum ex hebræo in græcum fuisse translatum a 70 Interpretibus, sub Ptolomæo rege Ægypti, ducentis annis ante Christum natum. Item historici profani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Sallustius, Quintus Curtius, mentionem faciunt de lege, templo et bellis Judæorum.

3° Qua arte iste impostor potuisset persuadere Judæis hanc esse historiam et legem suæ gentis divinitus tradi-

tam, de qua nihil unquam audivissent, quæque multa illis probrosa continet et durissima præcipit, atque ab eis obtinere tam scrupulosam hujus legis durissimæ observantiam, qualem nunc etiam profitentur? Quisquis sane id tentasset, dubio procul ceu fanaticus a Judæis habitus fuisset.

4º Si vetus Testamentum sit opus recentis impostoris, idem dicendum erit de novo, cum istud non sit nisi explicatio et adimpletio veteris, Christusque sæpe provocat Judæos ad Moysen et ad prophetas veteris Testamenti.

5º Dicant deistæ, quis fuerit iste impostor, cujus conditionis, generis et religionis: an Judæus, an Samaritanus, an Christianus? Si Judæus, nihil obtinisset a Samaritanis, Judæorum hostibus infensissimis. Similiter, si Samaritanus, respectu Judæorum. Insuper neuter inseruisset in his libris quæ nationi Judaicæ et Samaritanæ adeo sunt ignominiosa, eorum scilicet crimina, ingratitude, idololatriam et punctiones. Si Christianus, quomodo a Judæis et Samaritanis, hostibus pariter Christianorum infensissimis, acceptus fuisset?

6º Item, dicant quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iste impostor; quos primo decepit; quomodo Judæi, Samaritani, Christiani toto orbe dispersi, statim et simul fuerunt instructi exemplaribus omnium istorum librorum, in omni lingua, hebraica, syriaca, chaldaica, græca, prout erant nascente Christianismo. Ad hæc obmutescunt deistæ. Agnoscant ergo sua figmenta, et seipos prodere impostores, dum ficti impostoris causam agunt.

Maneat itaque inconcussum, libros Moysis et prophetarum esse genuina ipsorum opera, vaticinia quæ continent de religione Christiana et ejus authore esse divina et revelata, consequenter religionem Christianam esse veram, divinam et revelatam; nullum quippe est efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinæ, quam vaticinia de illius authore et veritate, siquidem nullus, nisi Deus, aut divino Spiritu afflatus, possit diu ante futura contingen-

tia, quæ ex sola Dei voluntate pendent, cum omnibus suis circumstantiis, prædicere, juxta illud *Isa.*, xli, 23: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos.*

Obj. 1º paganismum etiam habuisse sua oracula.

Resp. 1º nulla unquam oracula, sive a sacerdotibus idolorum, sive a pythonibus, sive a dæmonibus per idola, prodixisse de eventu futuro qui ex sola Dei voluntate penderet, sicut oracula Christianismi, sed fuisse vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quæ ipsi facturi erant, vel de futuris naturalibus quæ ex circumstantiis conjecturaliter prænuntiabant, et ideo de illis ipse Cicero, lib. II de *Divinat.*, dicit quod erant « partim falsa, partim casu vera. »

2º Oracula quæ futurum spectabant, erant ambigua, ita ut quidquid evenisset, verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis Delphici datum Cræso, regi Lydiæ, quod, « si transiret flumen Halys, magna regna perdet. » An sua, an aliena? hoc restabat divinandum. Item istud ejusdem Apollinis datum Pyrrho consulenti de eventu belli contra Romanos: « Aio te Æacida Romanos vincere posse, » quod æque significat Græcos posse vinci a Romanis, ac Romanos posse vinci a Græcis.

3º Hæc paganismi oracula cessarunt nascente Christo et proficiente Christianismo. Suidas, verbo *Augustus*, Suetonius, in *Octavio*, Nicephorus, lib. I, c. 17, referunt Apollinem Delphicum, postquam diu mutus mansisset, tandem Cæsari Augusto ipsum consulenti coactum fuisse respondere sic:

« Me puer Hebræus, divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris. »

Notum est Apollinem Daphniticum in suburbio Antiochiæ diu pariter obmutuisse, non obstantibus sacrificiis iteratis Juliani Apostatæ, ac tandem illi respondisse, causam sui silentii esse quosdam mortuos in vicino loco

sepultos. Hi autem erant SS. martyres, inter quos S. Babylonas.

Tertullianus in *Apolog.* affirmat quemlibet Christianum primo occurrentem posse reddere daemones mutos et eos e corporibus ejicere, provocatque Romanos ut experimentum faciant, et consentit hunc Christianum morti addici, si deficiat. Pariter Lactantius, lib. *de vera Sapientia*, refert omnem Christianum signo crucis daemones mutos efficere et e corporibus expellere.

[*Inst.* Celeberrima semper fuerunt, non solum apud gentiles, sed etiam apud antiquos Ecclesiae Patres, sybillina carmina, quibus multa futura praedicuntur. Habebant insuper pagani sua oracula. Ergo erant etiam apud ipsos vera vaticinia.

Resp. quod oracula sybillina jamdiu viluerunt eruditibus. Etiam si tamen admittatur carminum illorum authenticitas, et Sybillarum virginitatem prophetiae dono a Deo muneratam fuisse, ut ait S. Hieronymus, *contra Jovinian.*, nihil in illis praesidii reperit incredulitas, cum in illis multa contineantur antiquae traditionis monumenta, multa de Christo ejusque religione vaticinia, ut videri potest in digr. 2 ad calcem dissert. II in tract. de incarnat., in Opere nostro majori. Ideo cum laude carmina Sybillarum citarunt SS. Patres, quod in iis magis confirmari viderent religionem, quam infirmari. Quoad caetera vero vaticinia et oracula paganorum, quamvis non desint qui omnia fraudibus sacerdotum attribuant, quorum plurimas decipiendi artes ipse Herodotus refert, lib. 5, 6, 7 et 8, theologi tamen communiter censent, non illa omnia humanis artibus esse adscribenda, sed plura etiam a daemone edita fuisse. Unde S. Cyprianus, lib. *de Idol. vanit.*, sic habet: « Hi ergo spiritus sub statu atque imaginibus delitescunt, hi afflato suo vatum pectora inspirant, oracula efficiunt. » Quamvis enim verae prophetiae soli Deo sint propriae, spectata tamen daemone intelligentia et natura, multa scire possunt et vaticinari, quae hominum admirationem valent excitare. Sic possunt praedicere mala quorum ipsi

futuri sunt auctores, eodem quasi momento manifestare quae in remota regione fiunt, ex praesentibus quaedam proxime futura conicere, ut jam est dictum. Quia tamen eventus etiam proxime futuri non raro a libera hominum determinatione, aliarumque rerum concursu dependent, quae ex causis naturalibus certo praevideri non possunt, hinc daemone oracula de his eventibus, partim falsa erant, partim casu vera, communiter ambigua et flexiloga, ut in sensus etiam contrarios trahi possent. Oraculorum falsitatem testatus fuit, apud Theodoretum, ipse Porphyrius inquit: « Multis de rebus interrogati, mendaces saepenumero inveniuntur. » Non possunt itaque, nisi per summam fatuitatem et audaciam, ethnicorum oracula nostris prophetiis comparari, quod fecit Celsus, quem Spinosa alique increduli secuti sunt. Ostendant ipsi falsitatem aliquam vel minimam in prophetiis nostris: quod nullo modo poterunt perficere; omnia enim oracula in Christo et in Ecclesia fuisse completa evidenter demonstratur. Hinc augures et fatidici apud omnes nationes quidem existerunt, prophetae vero nullibi, nisi in populo Dei.

Obj. 2° cum Rousseau: Ut prophetia certum veritatis argumentum esse possit, requireretur 1° ut idem qui audivit prophetiam, testis quoque esset eventus, 2° ut certum esset non casu evenisse quod praedictum est. Atqui haec in eadem prophetia non concurrunt. Ergo.

Resp. ad 1^{am} hac philosophandi ratione nihil credi posse ab aliis factum, nihil dictum, nisi quod propriis auribus audiatur. Nulla ergo erit amplius fides historica, nulla certitudo. Insuper, quamvis quae Rousseau exigit, non reperiantur conjuncta in omni prophetia, in multis tamen casibus evenit. Sic resurrectio Christi praedicta fuerat Apostolis, qui eum postea vivum propriis oculis viderunt.

Resp. ad 2^{am} non hic agi de uno aut altero facto per verba ambigua praedicto, vel de uno aut altero vaticinio per conjecturas causasve naturales praenuntiatio, sed de prophetis, quorum alii alii per plura saecula successere,

qui quamvis inter se ætate, regionibus et moribus dissiti, mirifice convenerunt in prænuntiandis eventibus, non modo liberis et contingentibus, sed a Deo unice pendentibus, quorum prædixere loca, tempora, singularesque etiam minimas circumstantias, ut superius jam vidimus. Quis autem adeo insipiens omnia dixerit fortuito respondisse oraculis adeo manifestis?

Obj. 3^o : Vaticinia non sunt solius Dei opus, si detur naturalis vaticinandi facultas. Atqui dari hanc facultatem insignes philosophi docuerunt, ut Aristoteles, Plutarchus, etc. Ergo.

Resp. Nego min. Illa gentilium testimonia nihil aliud probant, quam communem omnium persuasionem, divinationem existere, cujus cum veram originem non cognoscerent, ad incertas hujusmodi suppositiones confugerunt. Neque enim potest, aut ex ratione, aut ab experientia aliquod afferri argumentum quo hæc opinio probetur. Loquimur de prophetiis proprie dictis, non de præsentationibus quibusdam ex causis naturalibus ortis, quarum rationes sufficientes in præsentibus aut præteritis jam continentur.

Obj. 4^o : Ex eventu non potest dijudicari prophetia, 1^o si eventu compleri potest, quin sit vera, ut *Deut.*, xiii, 1-3, dicitur : *Si surrexerit in medio tui propheta... et prædixerit signum atque portentum, et venerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos... non audies verba prophetæ hujus* ; 2^o si eventus non semper sequatur prophetiam Dei nomine factam, ut Isaias prædixit Ezechiæ mortem in crastinum futuram, Jonas Ninivæ subversionem. 3^o Eventus, nonnisi post longum tempus prænuntiatus, non potest esse veritatis argumentum ; quod in innumeris prophetiis contigit. Ergo.

Resp. ad 1^{am}. Cum prophetia quæ certæ veritati repugnat, necessario sit falsa, sequitur illam de qua agitur in *Deuteronomio* non posse haberi veram et propriam prophetiam. Alii interpretes putant, ea verba hypothesin impossibilem continere, ad rem fortius exprimentam, quæ hypotheses in vulgari sermone non raro adhibentur,

ut Apost., *ad Gal.*, i, 8 : *Licet angelus de cælo evangelizet vobis præterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.* Demum nihil impedit verba illa intelligere de propheta qui, cum veras edidisset prophetias, postmodum in idolatriam lapsus, auctoritate sua abuteretur ad fidem populi corrumpendam.

Resp. ad 2^{am}. Illæ prædictiones non erant vaticinia in confirmationem alicujus doctrinæ edita, sed comminationes factæ, quæ ut plurimum erant conditionatæ.

Resp. ad 3^{am}. Prophetia longo post tempore complenda, non poterat esse veritatis argumentum his qui tempore prophetæ vivebant, sed iis qui eventum viderunt. Sic prophetiæ de Messia nihil probabant Judæis viventibus tempore Isaiæ et Jeremiæ, sed iis qui tempore Messie ex prophetiis convincendi erant. Insuper prophetæ semper res etiam proxime futuras prædicebant, ut priorum prophetiarum eventibus fidem conciliarent posterioribus.

Obj. 5^o : Vaticinia quæ extremam Judæorum cladem prænuntiant, multa continent quæ in urbis Hierosolymitanæ excidio impleta non sunt. Ergo nihil probant.

Resp. sermonem esse in objectione de vaticinio quod *Matth.*, xxiv, *Marc.*, xiii et *Luc.*, xxi legitur, in quo, juxta communem interpretum sententiam, Christus simul de mundi consummatione locutus est, cujus præludium exhibent extremæ gentis Judaicæ calamitates. Difficile tamen non est inter utramque distinguere, præsertim in serie narrationis quæ a S. Marco refertur. 1^o De urbis Hierosolymæ destructione agitur a v. 1 usque ad 24. 2^o De totius orbis subversione a v. 24 ad 27. Utroque eventu prænuntiato, Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem : *Dic nobis quando ista fient.* Et quidem v. 28 ad primum eventum rediens, eum tamquam proximum annuntiat v. 30 : *Non transibit generatio hæc, donec omnia fiant.* Quod autem tempus attinet extremæ mundi consummationis, ait v. 32, illud ad occulta Dei judicia pertinere : *De die autem illo vel hora nemo scit.*]

ARTICULUS IV

MIRACULA CHRISTI ET APOSTOLORUM, ITEM PROMISSIONES
CHRISTI ADIMPLETÆ IN CONFIRMATIONEM RELIGIONIS CHRIS-
TIANÆ.

§ I

Quædam quæstiones circa miracula breviter resolvuntur.

Petes 1° quid sit miraculum.

[Miraculum nominatum est a *mirando*, et ideo vi vocis significat rem admiratione dignam. Porro admiratio causatur propter quodcumque mirum, et fit potissimum in quadruplici casu: 1° Mirum est aliquid ex rei magnitudine vel arte quæ in ea elucet. Unde septem illa mundi antiqua opera tanta industria elaborata totiesque decantata, *mirabilia* fuerunt nuncupata et pro miraculis celebrata. Hoc latissimo sensu sumpta miracula ad nos non pertinent. 2° Mirum dicitur quod, cum causam habeat quæ percipientis captum excedat, movet ejus admirationem, et eum ad inquirendam hanc causam impellit. Tale est, v. g., lumen arcticum, quod a physicis nondum peremptorie fuit explicatum. 3° Mirum dicitur quod raro evenit. Hujusmodi facta sæpe miracula dicuntur, sed non sunt, quia ordinem totius naturæ non excedunt. 4° Mirum est, et miraculum large dicitur, opus quod excedit facultatem humanam, licet non superet naturalem potentiam aliquorum agentium superiorum, nempe angelorum et etiam dæmonum. De hoc infra, comparative ad miraculum proprie dictum, quod mox est definiendum.

Miraculum respuunt: 1° Atheistæ, qui negant res mundanas habere causam superiorem extra se existentem. 2° Deistæ, qui Deum hujus mundi curam habere non admittunt, statuentes Deum in mundum influere non posse. Negatur simul, cum providentia, possibilitas miraculorum.

3° Pantheistæ, qui omnia in mundo fieri docent absoluta necessitate. 4° Ex theistis illi rationalistæ qui, ex odio religionis christianæ, varias antitheses excogitant quibus eam impugnent, et contra miracula insurgunt, ut argumentum ex iis in favorem hujus religionis depromptum e medio tollant. 5° Neoplatonici, qui dixerunt nihil Dei auxilio opus esse ei qui artem theurgicam didicit, qua quandoque potest naturæ leges turbare.]

Resp. Miraculum est effectus omnipotentiae divinæ contra leges communes et supra omnes totius naturæ, seu, ut dicit S. Thomas, præter ordinem totius naturæ¹. Unde neque angeli, neque dæmones, neque ulla quævis creatura potest propria virtute facere verum miraculum, sed solus Deus, qui cum, condendo naturam, illi libere leges constituit, sic solus illis potest ad nutum derogare. Neque inde sequitur quod Deus mutetur, ut stupide fingit Spinosa; non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, sed facit in tempore quod ab æterno decrevit facere.

Quando ergo angeli vel sancti dicuntur facere miracula, non est sensus quod habeant in se virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula². Cum enim principium operandi miracula se extendat ad omnia quæ supernaturaliter fieri possunt, nihil est aliud quam omnipotentia divina quæ nulli creaturæ communicari potest. Et aliunde sequeretur quod possent facere miracula quando vellent, quod est falsum. Patet ex interrogatione Apostolorum, *Matth.*, xvii, 18: *Quare nos non potuimus ejicere illum?* scilicet dæmonem. Item Elizæus non potuit suscitare filium viduæ per sui baculi applicationem. Item Paulus petiit a se removeri stimulum carnis, nec obtinuit. Sensus est ergo quod ad eorum sive postulationem, sive vocem, sive contactum alicujus ad se pertinentis, Deus operetur miraculum, utens iis rebus tamquam instrumentis.

1. 1^a p., q. 110, a. 4, o. — 2. *Ibid.*, ad 1; 2^a 2^a, q. 178, a. 1, ad 1.